

Imperator ? Humili uulgo scripta sunt, agricolarum, opificum turbae, denique studiorum otiosis. Quid te iudicem facis ? cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo ; maiorem te sciebam, quam ut descensurum huc putarem. » Praeterea est quaedam publica etiam eruditorum reiectio. Vtitur illa et M. Tullius extra omnem ingenii aleam positus et, quod miremur, per aduocatum defenditur : « Nec doctissimis. Manium Persium haec legere nolo, Iunium Congium uolo. » Quod si hoc Lucilius, qui primus condidit stili nasum, dicendum sibi putauit, Cicero mutuandum, praesertim cum de re publica scriberet, quanto nos causatius ab aliquo iudice defendimur !

Sed haec ego mihi nunc patrocinia ademi nuncupatione, quoniam plurimum refert, sortiatur aliquis iudicem an eligat, multumque apparatus interest apud inuitatum hospitem et oblatum. Cum apud Catonem, illum ambitus hostem et repulsis tamquam honoribus inemptis gaudentem, flagrantibus comitiis pecunias deponerent candidati, hoc se facere, quod tum pro innocentia rebus humanis summum esset, profitebantur. Inde illa nobilis M. Ciceronis suspiratio : « O te

7

8

9